



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Item de prædestinatione. xxxix.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

cepto diuino, ita penè deputatio, causa est peccati perpetratio, & postea pro peccato nulla digna satisfactio.

Item de prædestinatione. Cap. XXXVIII.

Ex dictis Ambro. **E**T Scriptura dicit: Considera opera domini: quia non potest corrigere, quem ille despexerit.

Item de prædestinatione. Cap. XXXIX.

Ex dictis August. **N**E MO qui bene credit in Deum, dubitat præscientia illius cælum, terramq; contineri, mundumq; providentia diuina regi. Et sicut nihil latet sapientiam eius, ita dispositio illius vniuersa moderatur & regit. Sic enim nulla est creatura occulta, in conspectu illius.

De creatione angelorum. Cap. XL.

Idem. **I**N principio creauit Deus cælum & terram, & aquam ex nihilo, & cum aquam ipsam adhuc tenebre occultarent, & aquam terra absconderet, facti sunt angeli, & omnes cœlestes virtutes, vt nō esset ociosa Dei bonitas, sed haberet in quibus per multa ante spacia bonitatem suam ostenderet: & ita hic visibilis mūdus ex his quæ creata fuerant, factus est, & ornatus.

Quòd nihil sit incorporeum, & inuisibile præter solum Deum. Cap. XLI.

Idem. **N**ihil incorporeum, & inuisibile in natura credendum, nisi solum Deum. Qui ideo incorporeus creditur: quia vbique est, & omnia implet, atq; constringit. Ideo inuisibilis omnibus creaturis est, quia incorporeus est.

Quòd omnis creatura sit corporea. Cap. XLII.

Idem. **C**reatura omnis corporea, Angeli, & omnes cœlestes virtutes corporeæ, licet non carne subsistant. Ideo autem corporeas esse credimus intellectuales naturas, quoniam localiter circumscribuntur, sicut & anima humana, quæ carne clauditur, & dæmones qui substantia angelicæ naturæ sunt.

Quòd omnes intellectuales naturæ immortales sint. Cap. XLIII.

Idem. **I**mmortales esse credimus intellectuales naturas, quæ carne carent, nec habent quod cadat, vt resurrectione egeat post ruinam.